

5 *Potestas Vicarii est tantum delegata ad nutum Episcopi revocabilis.*

6 *Debet habere commissionem suam in scriptis.*

7 *Episcopus potest Vicarii potestatem pro arbitrio restringere.*

8 *Episcopo mortuo vel alius sua jurisdictione desinito extinguitur etiam jurisdictione Vicarii.*

9 *Qua forma revocationis Vicarii?*

I Amethi in iure Vicarius Episcopi & Officialis eius frequenter confundantur & pro synonymis accipiuntur, ut supra notatum est, moribus tamen nostris quoad functiones & jurisdictionis exercitium omnino distinguuntur.

II. Officialis enim, de quo capite precedenti, ea quae contentiose jurisdictionis sunt exercet, qui hodie Vicarius Episcopi dicitur, nihil jurisdictionis contentiosae habet; sed omnis ejus auctoritas versatur circa ea, quae voluntariae jurisdictionis sunt; adeo ut Vicarius limites suae jurisdictionis excederet, si *judicialiter* partes coram se citari juberet, aut judiciales informationes super commisso crimine caperet.

III. Hoc ex capite, cum quidam Vicarius certam Contraternitatis erectionem examinaret & discussisset *judicialiter* five in forma judiciali, per Senatum Regium judicatum fuit, abusive Vicarium processisse: eo quod nullam jurisdictionem contentiosam vi sui Vicariatus haberet, sed ea in solidum penes Officialem residet: ita refert Germanus Forger in suo Tractu *De personis & rebus Eccles. lib. 1. cap. 42. n. 10.* Vide etiam Fevret *lib. 3. cap. 5.* ibidem notantem, quod si causa aliàs ad officium Vicarii spectans more judiciali instituitur & examinatur, agitari debeat coram Officiali, non coram Vicario, & si secus fiat, abusive esse, atque ita aliquando judicatum fuisse.

IV. Potest Episcopus unum vel plures, uti sibi visum fuerit, Vicarios constituere, Et quidem in quibusdam Ecclesiis Episcopi plures nominant Vicarios, qui simul corpus unum, quod Vicariatus dicitur, componunt; à quo pleraque, quae jurisdictionis voluntariae sunt, expediuntur.

Et si Zypæo credimus *Consul. 17. nu. 38. De Regularib.* his in regionibus passim Episcopalia negotia, & singulatum uniones, per Episcopos expediuntur non interveniente Capitulo, sed concilio Vicariatus.

V. Porro auctoritas & potestas horum Vicariorum tam de jure quam consuetudine merè vicaria est, & à beneplacito Episcopi dependet; adeo ut eam extendere & restringere liberè queat: quare de Vicariorum auctoritate ex ipsa commissione judicandum est.

VI. Unde ne fraus aut error in his contingat, Vicarius non debet officium tuum exercere, nisi habeat scripturam suae potestatis, inquit Rebuffus in praxi benef. *tit. De Vicariis*

Episc. n. 9. qui & *n. 13.* monet, in constitutione Vicariatus, intervenire debere testes; alioquin, ait, instrumentum cum signo sui Secretarii tantum esset scriptura privata quae non probaret. Et bonum est, ait *n. 14.* quod nullus recipere, tur Vicarius, nisi instrumentum Vicariatus esset registratum in actis, & ita fuit in Senatu statutum requirente Dionysio Riout Advocato tunc egregio Universalitatis, nunc autem Advocato Regio anno 1548. mense Martio. Hac Rebuffus; quae latius secundum praxim Regni Galliae dedit Fevretius in suo tractatu de abusu *lib. 3. c. 5. n. 13. & 14.*

VII. Si literarum commissionis mandatum restringant ad certos actus, aut locum vel tempus, termini commissionis servandi erunt. Si verò nulla specialis restrictio sive limitatio facta sit, sed generalis sit, tunc mandata creduntur omnia quae voluntariae jurisdictionis sunt; iis exceptis, quae de jure aut consuetudine sub generali mandato sive commissione non veniunt, sed speciale mandatum requirunt; de quibus consule Rebuffum in praxi *tit. De forma Vicariatus Archiepiscoporum & aliorum Collatorum.*

VIII. Quandoquidem jure communi, cui mores haecenus non derogarunt, Vicarii Episcoporum habeant dumtaxat mandatum potestatem, omnis eorum potestas non tantum morte Episcopi, quando cumque ea intervenerit, sed & quoties Episcopus sua auctoritate vel jurisdictione exiit, v. g. per excommunicationem, vel renuntiationem, plenè extinguitur: quandoquidem omnimodo tamquam rivulus à suo fonte, à jurisdictione Episcopi dependeat; imò vicarii jurisdictione non est nisi ipsa Episcopi jurisdictione mandata sive delegata.

IX. Eodem ex fundamento, potest Episcopus Vicarium etsi generalem revocare sive desistere, etiam sine consensu Capituli, sicuti absque ejus consensu constitui potest: debet tamen revocatio insinuari Vicario; quin uti post Rebuffum, Boërium alioque docet Garcia de Beneficiis *parte 5. cap. 8. n. 176. & 177.* haec revocationis intimatio adeo necessaria est, ut aliàs gesta à Vicario valeant etiam si habeant notitiam revocationis, & illa publicè sit nota.

Sed hic notandum, Rebuffum alioque per Vicarium *generalem* Episcopi, intelligere illum, qui non tantum in spiritualibus & in iis quae voluntariae sunt jurisdictionis constituitur, sed etiam in contentiosis, & Ordinariam jurisdictionem concernentibus. Verbo, qui in omnibus Episcopi v. g. absentis vices suppleat; & cui omne regimen Ecclesiae, omnisque jurisdictione Episcopalis commissa sunt; nequaquam verò illum, quem hodie Vicarium *generalem* hic dicimus, qui ad nutum Episcopi constituitur & revocatur, & cui dumtaxat quaedam voluntariae jurisdictionis munia, nec tamen omnia committuntur.

In hoc porro Vicario supradicto omnia requiri, sive in constitutione, sive revocatione, non credimus:

„apud nos quoque, & seclè per provincias universas tenetur, ut ad Ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui Praepositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciae proximi quique conveniant, & Episcopus eligatur *plebe presente*, quae singulorum vitam plenè novit, & unius cujusque actum de ejus conversatione percipit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini Collegae nostri Ordinatione ut de *universa Fraternitatis suffragio*, & de Episcoporum qui in praesentia conveniant, quique de eo ad vos litteras fecerant, judicio, Episcopus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur.”

II. Et paulò ante, „Quod & ipsum videmus de divina auctoritate descendere ut Sacerdos *plebe presente* sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur, sicut in Numeris Dominus Moyse praecepit dicens: *Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus, & imponens eos in montem coram OMNI Synagoga, & exue Aaron stolam ejus, & indue Eleazarum filium ejus, & Aaron appositus moriatur illic.* Coram omni Synagoga jubet Deus, constituit Sacerdotem, id est, instruit & ostendit, Ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut *plebe presente* vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicantur, & sit Ordinatio justa & legitima, quae omnium iudicio & suffragio fuerit examinata.”

Conformiter ad hanc disciplinam, Cornelium Romae Clericorum *plebisque* suffragio Episcopum Ordinatam testis est idem Cyprianus *Epist. 41. & 42.* atque de ipso Cypriano testatur Pontius Diaconus in ejus vita, „quod iudicio Dei & *plebis* favore officium Sacerdotii, & Episcopatus gradum adhuc Neophytus, & ut putabatur, novellus electus est.”

III. Quin & eam disciplinam, etiam quoad suffragia *plebis*, non tantum in Ecclesia Latina, sed & Graeca integram ac illibatam fuisse post Synodum Laodicenam sub initio saeculi quarti celebratam constat. Nam in Synodo Chalcedonensi aetione II. Stephanus Episcopus Ephesus volens ostendere se canonicè electum ait: „Me quadraginta Episcopi Asiatici, suffragio Clarissimorum & Primatum, & totius Reverendissimi Cleri, & omnis civitatis ordinaverunt.”

Quin & novellè Justiniani expressè volunt in electione Episcopi unà cum Clero *Primates* Civitatis, cui Episcopus ordinandus est, intervenire. *Novellà 123. c. 1.*

IV. Hoc equidem constat, apud Graecos citius quam Latinos, ab Episcoporum electionibus laicos exclusos fuisse; siquidem Saeculo 9. Synodus VIII. *Can. 22.* statuit, atque jure promulgat, *neminem laicorum* Principum vel Potentum sene: inserere electioni vel promotioni Patriarchae vel Metropolitanæ, aut cujuslibet Episcopi, ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confusio, vel contentio: praesertim cum nullam in talibus potestate quomquam potestativorum vel ceterorum laicorum habere conveniat, sed potius silere, ac attendere sibi, usquequo regulariter à Collegio Ecclesiae suscipiat finem electio futura Pontificis.”

V. At in Ecclesia Latina saeculo 9. etiam laicos electioni intervenisse; plebisque suffragia fuisse expetita, ex historicis formulisque electionum est notorium. Uti praeceamus quae remotiores Ecclesias concernunt, una sufficit epistola Hincmari Archiepiscopi Remensis ad Hedenulphum Laudanensem Episcopum, ut Visitationis officio fungatur in electione Episcopi Cameracensis, qua eum his verbis hortatur: „Ad eandem Ecclesiam quanto cyus studas properare, ac assiduis hortationibus Clerum, plerumque, quae Ecclesiae publicè admonere festines, ut remoto privato studio, uno eodemque consensu talem sibi praeficiendum expectant ac eligant Sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis Canonibus nullatenus respuatur... Quae electio non tantum à civitatis Clericis erit agenda, verum & de omnibus Monasteriis ipsius Parochiae, & de rusticianarum Paro-

Van Espen *Jur. Eccl. P. I.*

„chiarum Presbyteris occurrant Vicarii, commotantium secum concordia vota ferentes; sed & Laici nobiles ac cives adesse debebunt: quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.” Habetur hæc epistola tomo 8. Conciliorum generalium collectionis Labeanz *col. 1867.* ibi & columnà sequenti extat ejusdem Hincmari epistola ad Clerum & *plebem* Cameracensem, ut Canonicam electionem faciant cum Visitatione sibi designato.

Non dubium ergo in Cameracensi, uti aliis vicinis Ecclesiis, quod formale ibidem relata ostendunt, saeculo 9. non Clerum dumtaxat, sed & *plebem* ad Episcopi electionem concurrere.

VI. Rationem hujus disciplinae ex Cypriano supra audimus; nimirum, ut *plebe presente* vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicantur.

Alteram dat S. Leo *Ep. ad Episcopos* Provinciae Viennensis. Quae est 10. in editione Quenelliana. Cum enim dixisset, „per pacem & quietem Sacerdotes qui futuri sunt, postulentur,” addit: „Teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, Ordinis consensus & *plebis*, Qui praefuturus est omnibus ab omnibus eligatur.” Vel ut loquitur Caesellinus I. „Nullis *inviis* detur Episcopatus; Cleri, Plebis & Ordinis consensus & desiderium requiratur.” *Ep. 2. c. 5.* apud Gratianum *Dist. 61. can. 14.* Aut sicuti exprimitur in citata Epistola Hincmari Remensis: „Quoniam ab omnibus debet eligi, cui ab omnibus debet obediri.”

VII. Dum verò his rationibus permota Ecclesia, plebem ac Clerum totum in sui Pastoris electione intervenire, atque audiri voluit, praecipuas tamen in hac momentosa Electione partes esse voluit Metropolitanis ac Comprovincialium Episcoporum; atque ab his proprie Eligi ac praefici Episcopum; populumque ne in hac nominatione aut postulatione Pastoris errare contingat docere; errantemque in viam rectam reducere.

Hinc Synodus Nicæna *Can. 4.* statuit: „Episcopum convenit ab omnibus qui sunt in Provincia constitui. Si autem sit hoc difficile, vel propter urgentem necessitatem, vel viae longitudinem, tres omnino eundem in locum congregatos, absentibus quoque suffragium ferentibus, scripsitque assentientibus, tunc Electionem fieri.”

Canonem non tantum de consecratione, sed etiam de electione loqui ostendimus in Scholiis; neque de hoc esse dubitandum monet Christianus Lupus *parte 4. Schol. pag. 148.* Episcopis ergo tribuit Electionem sive ordinationem; quia plebe Cleroque postulante, aut consentiente, ordinatio sive nominatio Episcopi ipsis praecipue competebar.

Hinc Episcopi Alexandriae, quorum plures Concilio Nicæno interfuerant, describentes ordinationem S. Athanasii in Episcopum Alexandrinum; eamque ab Arianorum calumniis vindicantes, dicunt, quod cum convenissent ad constituendum in locum Alexandri defuncti Episcopum, tunc „omnis multitudo, & omnis populus Catholicae Ecclesiae, tamquam ex una anima & corpore convenientes, vociferabantur, clamabant petentes Athanasium Episcopum Ecclesiae: hoc precabantur publicè, à Christo, & hoc nos adjurabant facere, per multos dies & noctes, ipsi neque ab Ecclesia discedentes, neque nos sinentes abire: hujus rei nos testes sumus, hujus & urbs universa, & Provincia.”

Liquet ergo, Synodum Episcoporum tunc habitam fuisse ad celebrandam Episcopi ordinationem, & populum praevie suum testimonium de eligendo tulisse; ac juxta populi postulationem ab Episcopis Electum ac ordinatum fuisse Athanasium.

VIII. At si populus tumultuose, atque passione aliqua præventus, vel ignorantia seductus inidoneam, aut minus convenientem postulasset, eum Episcopi rejicere poterant & debebant; atque de hoc casu scribit Caesellinus I. ad Episcopos Apuliae & Calabriae: „Docendus est populus non sequendus. Nosque (si nesciunt) eos, quid liceat, quidve non liceat, commone, non his consensum

G 3 „præbe-

TITULUS XIII.

De Electione & Nominatione Episcoporum.

CAPUT I.

Quas partes olim populus habuerit in hac Electione.

- 1 *Populus electioni olim interveniebat; idque ex Apost. traditione descendit.*
- 2 *Probatum hac disciplina ex antiquo Testamento.*
- 3 *Eadem disciplina saeculo 5. erat tam in Ecclesia Graeca quam in Latina.*
- 4 *Servata in Ecclesia Latina quam in Graeca.*
- 5 *Saeculo 9. superstes fuit etiam in his partibus.*
- 6 *Rationes hujus disciplina.* (piscopi.)
- 7 *In hac electione tamen praecipuas partes habebant Episcopi.*
- 8 *Poterant Episcopi Electum à populo interdum rejicere.*

9 *Poterant etiam sine praevia plebis electione ordinare Episcopum.*

10 *Electio populi nullum jus tribuebat Electo.*

11 *Episcopo defuncto, mittebatur Visitator ut populum circa Electionem instrueret.*

12 *Electio examinanda mittebat ad Metropolitanum.*

13 *Metropolitanus cum sua Provincia Episcopis electionem & personam Electam examinabat.*

I. Disciplinam, quam in Electione Episcopi ex traditione Apostolica primitis saeculis universalis servabat Ecclesia, describit S. Cyprianus *Epist. 68.* editionis Rigalii; „Propter quod (nimirum ne indignus promoveatur) diligenter de traditione Divina & Apostolica observatione observandum est & tenendum, quod apud

prabere debemus. *Epist. 3. cap. 3.* Et apud Gratianum *Dist. 62. Can. 2.*

IX. Quinimo interdum, ubi persona aliqua Divino indicio ad regimen Ecclesiae videbatur vocata, etiam sine plebis consensu Metropolitanus cum Episcopis suffraganeis Episcopum ordinabant: at enim Cyprianus ad Clerum & plebem suam scribens: „In ordinandis Clericis, fratres charissimi, solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare; sed expectanda non sunt testimonia humana, cum praecedunt divina suffragia.

X. Neque etiam eo tempore electio illa plebis jus aliquod ad rem dabit ipsi Electo, sed potius erit simplex postulatio ipsius Plebis & Cleri de persona sibi grata ordinanda in suum Pastorem.

Quia tamen voluntati desiderioque populi non consentire difficile erat, atque invitae reluctantibus Pastores dare infaustos non raro pariebat effectus, hinc multum solliciti erant Episcopi, ut rite populus instrueretur, atque ad postulandum idoneum induceretur.

XI. Quapropter durante hac disciplina, Metropolitanus mox ut aliquam in sua Provincia Ecclesiam suo viduatum Episcopo intellexerat, Episcopum Visitatorem ad viduatum Ecclesiam destinabat, qui populi Clerique animos ad concordem ac Canonicam digni Praefulis Electionem faciendam dissonaret; cuius Visitatoris frequens mentio occurrit in Epistolis S. Gregorii, ac signante *lib. 2. epist. 19* ad Benenatum Visitatorem Ecclesiae Cumaniae, ubi quae ejus sint nomina late describitur, quae omnia allegata tum in Epistola Hincmari ad Hedenulphum Laudunensem, tum in ejusdem ad Clerum & plebem Bellovacensem; atque in allocutione Visitatoris Episcopi ad Clerum & plebem Electionis causa congregatum etiam exprimitur; atque eam disciplinam saeculo 9. & in hisce partibus conservatam evincunt. Habentur in dicto tomo 8. Conciliorum *Col. 1867. & seqq.*

XII. Illud notandum, quod in epistola Hincmari Archiepiscopi Remensis ad Clerum & plebem Bellovacensem, postquam de pluribus in electione servandis eos instruit; qualitateque eligendi exposuit, subdit: „Hujusmodi autem, quantum Dominus dedit, ipso cooperante electum cum Visitatore vestro, praesente scilicet confratre nostro, & cum in decreto canonico, ad humilitatis nostrae sollicitudinem, examinandum adducite: quia, ut longè ante notatum est, non est facile dimittendus, cui est proximus committendus. Praenotare vos denique volo, quia si personam à Secretis Canonibus deviam scienter nobis adduxeritis, non solum ex ea Pontificem non habebitis, verum etiam pro illicita electione, ut contemptores Canonum, judicium incurretis. Sed & nostro & Coepiscoporum nostrorum iudicio refutata rationabiliter electione vestra incongrua, talem secundum Laodicensis Canones studebimus eligere, qui vestris vitiosis voluntatibus non valeat consentire.

Hac ostendunt, Metropolitanum & Episcopos Provinciales non ita fuisse electione populi & Cleri restrictos, quin eam ex causa legitima rejicere possent.

Electione itaque peracta *Decretum Canonicum Electionis*, Clericorum, Monachorum ac Laicorum subscriptione munitum conscribatur; illudque Metropolitanum offerentes, Electum in Episcopum suae Ecclesiae ordinari postulabant. Plures hujusmodi *Decreti* formulae extant *To. 8. Con.*

XIII. Hoc decreto accepto, Metropolitanus convocatis suae Provinciae Episcopis tum Electionis formam, tum qualitates Electi examinabat; quae si examine instituto Canonica reperiebantur, Electum cum consensu Episcoporum suae Provinciae in Episcopum consecrabat; atque cum canonicis litteris, quibus novus Episcopus de suo officio instruebatur, ad Ecclesiam sibi commissam mittebat. Exemplar tam dicti examinis, quam Litterarum Canonicarum extat in allegato tomo 8. Conciliorum; atque in illis plura occurrunt, quae ad notitiam disciplinae illius temporis conducere possunt.

CAPUT II. Quomodo Electio Episcoporum ad Capitula Cathedralia sit devoluta, & una de Concordatis Germaniae.

- 1 Saeculo 11. Electio adhuc erat penes populum & Clerum.
- 2 Saeculo 12. coepit transire ad Capitula Cathedralia.
- 3 Saeculo 13. penes Capitula Cathedralia erat Electio Episcoporum exclusis etiam Suffraganeis.
- 4 Per Reservationes Pontificias jus illud Capitulis fuit ademptum.
- 5 Reservationes ille non ubique fuerunt receptae.
- 6 In Concilio Constantiensi contra dictas Reservationes tractari coepit.
- 7 Decretum Concilii Basiliensis contra dictas Reservationes Sanctione pragmatica Regis Galliae probatum.
- 8 Urgentibus Pontificibus Rom. Pragmatica Sanctio abolita fuit.
- 9 Pro restituendis Electionibus inita sunt Concordata inter Rom. Pontificem & Principes Germaniae.
- 10 Quid in his concordatis contineatur quoad Electiones.
- 11 Concordata haec concernunt dumtaxat illos qui sunt sub Imperio.
- 12 Non extendunt se in Brabantiam exceptis paucis civitatibus.
- 13 Haec Concordata tantum obligant illos qui ea acceptaverunt.
- 14 Beneficia extra fines Imperii sita non subjacent Concordatis, licet Collatores sint sub Imperio.
- 15 Sole Ecclesia Nationis Germanicae jus Electionis conservant.

I. Lerum ac populum Electionibus Episcoporum in Ecclesiis Occidentalibus adhuc saeculo undecimo intervenisse, testantur epistola Gregorii VII. ac signanter *lib. 1. epist. 35. lib. 5. epist. 8.* in qua postrema inter plura contra Episcopum Avellanensem allegata recenentur. Dicitur siquidem legitimum atatem non habens contra Decreta Sanctorum Patrum sine idonea Cleri & populi electione Ecclesiam invalisse.

II. Quin & saeculo duodecimo electiones Episcoporum Cabilonensis & Gebennensis adhuc peractas fuisse cum consensu populi non obicere innuit S. Bernardus *epist. 13. & 27.* tamen si fatendum sit, saeculo illo coepisse electiones Episcoporum à populo & Clero transire & transferri ad Capitula Cathedralia, tamquam clerum totius diocesis representantia; atque unum cum suo Episcopo corpus & Collegium constituenta.

III. Et quidem circa initium saeculi decimertii sui Capitulum Cathedralium circa Electiones Episcoporum plane fuisse stabilium, colligitur ex epistolis ac responsis Innocentii III. & sequentium Pontificum, quae Decretalibus Gregorii IX. sunt insertae; adeo quidem ut cum Canonici Strigoniensis Ecclesiae Colocensem Archiepiscopum sibi dari in Episcopum ab Innocentio III. postulassent; ac Suffraganei Episcopi praeponderantem eam postulationem non debuissent fieri nisi ipsis consultis, ut qui solent electioni Strigoniensis Archiepiscopi interesse cum Capitulo; respondit Innocentius Praeposito & Capitulo Strigoniensi, „vobis dedimus in mandatis, ut ad promovendum vobis Pastorem idoneum per electionem Canonicam vel postulationem concordem (requisito Suffraganeorum assensu, si esset de antiqua & approbata consuetudine requirendus) procedere curaretis, alioquin nos ipsi provideremus Ecclesiae viduatae. *Cap. 4. De postulat. Pralat.*

Itaque jus electionis tempore Innocentii III. ita privatim spectabat ad Canonicos Cathedralis, ut ne ipsi quidem Suffraganei Episcopi ad electionem sui Metropolitanam cum Capitulo concurrerent; imo nec ipsorum assensus requirendus, nisi esset assensus de antiqua & approbata consuetudine requirendus.

IV. „Duravit (ait Barbofa *Lib. 1. Juris Eccles. cap. 8.*) hujus-

hujusmodi potestas eligendi Episcopum in Capitulis & Canonicis usque ad tempora Bonifacii VIII. & Clementis V. ut constat ex titulis de electione in Sexto & Clementinis.

Primum Cathedralis Ecclesiae, quae apud Romanam tantum Curiam vacare contigissent suae dispositioni (inquit Barbofa dicto loco) reservare coepit Clemens V. in *Extrav. ET SI IN TEMPORALIUM De prabendis in Comm.* Deinde verò idem Clemens V. earum quoque Ecclesiarum provisionem, quae Clero & populo Christiano careret, Rom. Pontificis dispositioni reservavit, in *Clem. IN PLERISQUE De Elect.* Postea Benedictus IX. in *Extravag. SANCTA ROMANA De Elect. inter Comm.* statuit, quatuor Patriarchalibus Ecclesiis vacantibus, illis non posse provideri Romano Pontifice inconsulto. Hinc Joannes XXII. in *Extravag. EX DEBITO Eodem Tit. De Elect. inter Comm.* provisioni suae reservavit Episcopales, & earum superiores Sedes, quae apud Sedem illi vacante vacare contigerint. At Benedictus XII. in *Extravag. AD REGIMEN De prabendis inter Comm.* dispositioni Apostolicae reservavit omnes Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias &c. tunc apud Sedem Apostolicam quomodocumque vacantes, & imposterum vacaturas. Denique per sequentes Romanos Pontifices reservatio facta fuit simpliciter & generaliter quoad omnes Ecclesias Episcopales tam apud Sedem Apostolicam, quam extra curiam vacantes in *Regula 2. Canonellaria.*

Per has reservationes ad nihilum redactum esse jus eligendi Praelatum, quod habebant Capitula Cathedralia & Collegiata, etiam post alios Canonicas observat Fagnanus ad *Cap. NULLUS De Electionib.*

V. Verum Reservationes illae non ubique receptae fuerunt aut probatae, renitentibus tum Episcopis, Capitulis & Patronis, quibus jus eligendi, conferendi & praesentandi penè omne per has adimebatur; tum etiam Regibus & Principibus Vasallorum suorum atque subditorum jura tuentibus; quippe qui malebant penes Capitula aliosque sibi subditos esse jus Electionis, quam penes Pontifices.

Nec enim metuebant Principes, ne manente electione apud Capitula sibi subdita, facile aliquis sibi non gratus, aut in sui Regni negotiis suspectus ad Praelaturam eligeretur; quod & contra manente apud Pontifices provisione se metuere per promotionem extraeorum dicebant.

VI. Et quidem in Concilio Constantiensi, Praelati, praesertim Regni Galliae instanter petierunt, ut *ius Electionis* per reservationes quodammodo extinctum restitueretur illis, quibus de jure communi competebat. Sed Concilium hoc unice penè occupatum & intentum extinguendo schismati, quod per plures annos Ecclesiam sciderat, & afflixerat, hunc articulum *De reservationibus Sedis Apostolicae*; item *De collationibus Beneficiorum & gratias expectativis*; item *De confirmationibus Electionum*, futuro Romano Pontifici per Concilium eligendo commisit, ut super illo una cum Concilio aut Deputatis ex qualibet Natione secundum aequitatem ac bonum Ecclesiae regimen ante dissolutionem Concilii provideret.

VII. Cum verò Martinus V. à Concilio Constantiensi electus nihil super his articulis statuisset, rursus in Concilio Basiliensi inlitterunt Patres ac praecipue Ecclesiae Gallicanae pro abrogatione reservationum, atque restitutione Canoniarum Electionum; ac tandem *Seff. 23.* hoc editum fuit Decretum, quod & in Conventu Bituricensi Cleri ac Procerum Regni Gallicani probatum, ac auctoritate Caroli VII. Galliarum Regis cum aliis pluribus articulis partim ad verbum, partim cum aliqua moderatione ex Synodo Basiliensi desumptis, probatum & evulgatum est sub nomine ac titulo *Pragmatica Sanctionis*. „Sancta Synodus in Spiritu Sancto congregata statuit & definivit, generalem reservationem omnium Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedra-

lium, Collegiarum, & Monasteriorum, ac Dignitatum electivarum, per Romanum Pontificem de cetero fieri, aut factis uti non debere, reservationibus in corpore juris clausis, & his quas in terris Romanae Ecclesiae ratione directi seu utilis domini mediate vel immediate subiectis fieri contigerit, semper exceptis; sed quod per electiones & confirmationes Canonicas, secundum juris communis dispositionem, praedictis Metropolitanis, Cathedralibus, Monasteriis, & Collegiatis Ecclesiis, ac Dignitatibus electivis vacantibus, debite provideatur: non derogando propterea statutis, privilegiis & consuetudinibus rationabilibus, quibuscumque postulationibus, in dispositione juris communis remanentibus, Decretis, atque haec Sancta Synodus rationi fore consentaneum, & Reipublicae accommodatum, ut contra hoc salutare Decretum Romanus Pontifex nihil attentet, nisi ex magna rationabili ac evidenti causa, in litteris Apostolicis nominatim exprimenda. Et ut eo firmitus hoc salubre Decretum custodiatur, vult eadem Sancta Synodus, ut inter alia, quae Romanus Pontifex in sua assumptione profitebitur, juret Decretum hoc inviolabiliter observare. Et quoniam tales (ut praedictum est) oportet esse Praelatos, hi, ad quos jus pertinet eligendi, omnem curam adhibeant ut dignam coram Deo & hominibus electionem faciant, exactamque proinde apponant sollicitudinem, ut tales eligant qui tanto officio valeant satisfacere. Scientes quòd si vel dolose vel negligenter ac timore Domini postposito in re tam gravi se gesserint, sicut auctoritates erunt & causa malorum Pastorum, ita participes fient poenarum, quas ipsi mali Pastores in districto Dei iudicio patientur.

VIII. Hocigitur Decreto electio Episcoporum Capitulis Cathedralibus restituta fuit; atque Reservationes magna ex parte abolitae ac multum limitatae. Sed cum in hac Pragmatica Sanctione non tantum electiones Capitulis restituerentur, ac Reservationes Pontificiae abolerentur; verum & confirmationes Praelatorum inferioribus & Ordinariis reservarentur, aliaque plura praedicta Sedi Apostolicae in illa occurrere viderentur, Pius II. anno 1458. ad Pontificatum assumptus, alique ejus Successores apud Reges Galliae vehementer pro ejus abrogatione institerunt; sed quia Praelati, Parlamenta Regia, atque Parisiensis Universitas ejus observantiam ac necessitatem ex adverso vehementer urgerent, contigit, ut per quinquaginta & amplius annos super hac re certatum sit (uti in historia Pragmaticae & Concordatorum videri potest) donec tandem anno 1516. initis Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. res tota sopita fuit, atque iterum electiones abrogatae, Nominatione Episcoporum ipsi Regi; confirmatione verò Pontifici delata, ut capite sequenti latius exponetur.

IX. Neque Galli dumtaxat de sublati per Reservationes juribus Ordinariorum, Capitulorum, Patronorum atque Collatorum conquesti fuerunt; sed eadem quoque Germanorum fuit querela; quos inter & Sedem Apostolicam pro ipsius tranquillitate inita atque conclusa est *concordata*; quae vulgò dicitur, *Concordata Germaniae*; & à Nicolao V. speciali Bulla, quae incipit, *Ad sacram*, probata.

X. In his Concordatis quoad electiones Episcoporum haec habentur: „Placet nobis, quòd in Metropolitanis & Cathedralibus, etiam immediate non subiectis Ecclesiis, & Monasteriis immediate subiectis Sedi Apostolicae, fiant Electiones Canonicae, quae ad dictam Sedem deferantur. Quas etiam ad tempus constitutionis felices record. Nicolai Papae III. quae incipit: *Cupientes*, expectabimus; & elapso dicto termino, si non praesentatae, vel si praesentatae minus canonice fuerint, providebimus; & si Canonice fuerint, eas confirmabimus; nisi ex rationabili & evidenti causa ac de dictorum Fratrum Cardinalium consilio de digniori & utiliori persona duxerimus providendum, proviso